

355.

enim poteratis sed nec ad huc quidem potestis. estis enim ad huc carnales. Ergo non erant tubae corneae quia non excesserant carnem. Cornu & carni heret & carnem excedit. et quamquam de carne oriatur. superat carnem. fiet ergo ex carnali spiritalis. Ad huc carne calcas terram. & spiritu erum pes in caelum. In carne enim ambulantes inquit. non secundum carnem militamus. Nam illud quibus dixit apostolus non pretermittimus. Quid illis ait. unde probare & illos carnales carnalia sapere. & nondum factos tubas corneas. Cum enim dicit unus quisque. Ego sum pauli. Alius ego apollo. alius autem cephe. Nonne carnales estis. & secundum hominem ambulatis. Quid est autem apollo. Quid est autem paulus. ministri dei per quos eredi didistis. Ego plantaui apollo rigauit. sed deus incrementum dedit. Uult illos ergo erigi absque quam in homine quam in homine posuerant & contingere spiritalium christi ut possent esse tubae corneae si superarent carnem. fratres nolite insultare fratribus quos nondum conuertit misericordia dei. Noueritis quia quam diu hoc facitis. carnem sapitis. tuba non est illa quae delectat aures dei. Insultationis tuba. Infructuosum bellum facit. tuba cornea te erigat aduersus diabolum. non tuba cornea aduersus fratrem tuum. In tubis ductilibus & uoce tubae corneae. Iubilare in conspectu regis domini. & uobis iubilantibus et exultantibus in tubis ductilibus et in uoce tubae corneae. Quid sequitur. Commoueatur mare & plenitudo eius. fratres praedicantibus ueritatem apostolis. tamquam tubis ductilibus et tubis corneis commotum est mare. surrexerunt fluctus. Creuerunt tempestates. factae sunt persecutiones ecclesiae. Unde commotum est mare. Cum iubilatur deo cum psallitur deo. dei aures delectabuntur. maris fluctus excitabuntur. Commoueatur mare & plenitudo eius. Orbis terrae & omnes inhabitantes in ea. Commoueatur mare in persecutionibus. Flumina plaudent manibus in idipsum. Moueatur mare & flumina plaudant manibus in idipsum. fiunt persecutiones & gaudent sancti in domino. Unde flumina plaudent manibus. Quid est plaudere manibus. gau